

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

129. Acetum acceriumum metallicum Riplei

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

rubeo (*dicti menstrui*) ita ut totum sit aqua una & vera, quæ aqua sic acuta habet potestatem putrefaciendi & alterandi omnem calcem metallorum in spatio trium hebdomadum, & hæc de causa, quia in illa aqua duo tunc conjunguntur ignes, scilicet Naturæ & contra Naturam simul.

*Mercurius communis Aceto phil. vel menstruo aliquo minerali dissolutus, vel sublimando per modum Circulati majoris Paracelsi, vel calcinando per modum Vitrioli in rubedinem calcinati Isaaci fixatus, denuò solvitur menstruo fætente & destillatur per Alembicum. Methodo qua Mercurius, eadem etiam reliqua Metalla mineraliæque redegit in Circulata majora. Ita*

## 129. Acetum acerrimum metallicum Ripleyi.

*Pag. 266. Clavis Aureæ Portæ.*

**H**Abitis igitur istis duobus Mercuriis albo & rubeo (*menstrui fætenti*) practicabis cum illis aut super propriam terram (*vel caput mortuum dicti menstrui*) aut super calces Metallorum præparatorum, nam de Terra non est curandum, modo substantia ejus fuerit fixa. Accipe igitur quemcumque illarum in albedinem alteratam & fermenta hoc modo. Ad album opus sume calcem lunæ, & Terram alteratam (*calcem philosophicam menstruo minerali confectam Lunæ*) in æquali portione, tere infimul, & tempera cum albo mercurio quem nominamus Lac Virginis (*in Leonis viridis descriptione*) optimèque sublima, ferva & collige non fixum, tantum scilicet quantum ascendit album & adhærens partibus vitri instar mercurii sublimati, nam hic est noster ille Mercurius sublimatione factus ex alba Terra alterata. Hanc denuò super proprias calces temperando cum lactè Virginis, destillando & sublimando tere donec omninò fixetur, ita ut nullo modò possit ab igne moveri. Hic est Mercurius sublimatus & fixatus, pro quo stulti assumunt sibi communem illum ex communi Vitriolo & sale sublimatum, in quo plurimum errant. Hunc pone in circulatorium & superfunde Lac Virginis donec tegatur, deinde circuletur, & destilletur per alembicum. *Exem...*

*Exemplum confectionis terræ alteratæ metallorum distillatæque terræ fixationis modum dedit in Vitriolo.*

℞. Vitriolum calcinatum in cineres ( *colcothar com.* ) contere in subtilissimum pulverem, pone in urinali, infunde Lac Virginis ( *fumum album menstrui sætentis* ) usque quo tegatur illo, claude urinale, cum panno linteo, stetque per octo dies, deinde adde tantundem prioris Lactis, repetendo ab octo diebus ad octo. Cum verò nihil amplius ebiberit, quiescat in frigido bene clausum, quousque Terra quædam cristallina, instar oculorum piscium in illius apparebit superficie. Hanc separabis à partibus crassioribus, residens in fundo, ponasque ( *istud vitriolum graduatum non quidem vini phil. spiritu, nec Aceto philosophico; sed menstruo sætente confectum* ) in ovo philosophico ad discrete digerendum ( *calcinandum* ) donec perfectè fixetur, deinde auge ignem, donec perfectè citrinetur, & adhuc auge ut rubescat in modum & colorem sanguinis Draconis.

*Tandem pro colophone addemus Circulatum majus è sulphure confectum Isaaci quod, cum in sui gradatione, fixatione & volatilisatione clarissimum sit, quæ in antecedentibus fortassis obscuriora manserunt, illustrabit, & hujus Generis Recepta clariora reddet.*

### 130. Circulatum majus è sulphure Isaaci,

*Cap. LXXXVIII. 3. Oper. min.*

℞. Sulphuris Ungarici vel Hispanici libras decem vel duodecim, præpara in lapide cum Aceto destillato ( *phil.* ) uti pictores solent colores suos, desuper affunde bonam quantitatem Aceti ( *præditi* ) pone in Balneo, agita bene spatula lignea, coquatur vase clauso in Balneo per sex vel octo dies, quotidie movendo ter vel quater, tum sine ut refrigescat & subsideat. Acetum tinctum filtra, affunde novum, opus hoc toties reïtera usque non amplius tingatur Acetum. Omne tinctum Acetum abstrahe in Balneo, ita ut remaneat pulvis aurei coloris in fundo. Pulverem hunc Aceto ut antea præpara & extrahe,